Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

gressa ludificatur. Quare prodigus tantarum rerum gloriam nefas ratus perdere maius. Sicut aures nostras popularis rumor inplevit ante. Latent decretalia nostre excellencie precepta contra christianos emissa. Ita tamen dicato palam quod profiteris. Sed fortissimus Christi tyro secundum apostolum veterem hominem cum actibus suis expoliatus et indutus eum qui secundum deum creatus est per baptismatis regeneracionem ita constanter respondit: Honor tuus et gloria cant tecum in perdicionem quo iturus es. Ego quidem secundum debitum et propositum mentis cui per lavacrum confederatus spopondi famulabor. Hunc ergo accipe que dedisti. Nudus egressus sum de utero matris mee, nudus revertar illuc. Inglorioso animo libet militare regi celorum. Et his dictis exuens se clamide quam aurea infrenabat fibula, dissolvensque dignitatis baltheum quo precinctus insigniebatur, proiecit ante pedes eius. Et vociferans ait: Christianus sum, non mihi licet exercere militare negocium. Tunc decius stupefactus quasi hore dimidie spacio conticuit, totumque illum perlustrans oculis contristatusque est valde super pulcritudine eius. Erat enim rufus aspectu decoraque facie. Itaque furore decius correptus dedit sententiam condempnacionis ut in carcerem truderetur. Videbat enim priusquam duceretur. Dum tempus arrisit ille non intellexerit, nunc autem persentiscat quod possit romani regni severitas. Fremebat autem simulatis furiis, putans eum comminando posse terreri atque a pio mentis proposito revocare. Sed beatus mercurius illato sibi terrore non trepidans, carceris ingressus est claustra gaudens et glorificans Christum dominum, quia dignus habitus esset pro nomine eius pati

talia. Eadem vero nocte astitit ei angelus domini dicens: Confide mercuri, ne formides momentaneas minas, et crede constanter, quia quem confiteris dominum liberabit te ex omni tribulacione ista. Confortatus est ergo validissime angelice visionis alloquio, gracias agens deo quod ei visitacionis graciam per angelum suum dignatus est infundere. Altera autem die idem decius sedens pro tribunali iussit eum vinctum adduci in conspectum suum. Cui et dixit: Ita decet vecors, nam talis famulatus obsequiis dignus haberis. Beatus mercurius contra sic ait: Hoc vere fateris. Sic decet te eo quod inestimabilem in decorem et gloriam preparas in eternum. Sicut etenim tu propter labentem felicitatem suscipis, ego proiecta temporali eternam vitalissime recipere modis omnibus confido. Tunc decius ut erat delinitus cepit ei callide consulere dicens: Satis ineptum et incommodum est relictis rebus bellicis quibus summa deorum ac mortalium amministratur utilitas ignavie lentisque operibus animum tradere. Et ideo quod conaris non religioni sed vanitati ascribere. Unde cernens indolem tuam expertem ignoranciaque consilii, flexus pietate ceu pater moneo te deserere hanc animi levitatem et ad potentissime nostre consultacionis gravitatem te conferre, ut honoris apicem repetas, ne diis iratis vitam premium tui floris inopinata morte consumas. // Quis unquam gloriam existens ad ignominiam sponte prolapsus est? Novum est hoc genus calamitatis. At beatus mercurius: putabam inquit me imperatorem adisse christianum, sed domicianum repperi. Nam sicut predecessoris tui vice regia potiris, ita eciam

// Quis unquam primatum suum exosus abierit.